

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 3 (1925)

Artikel: Zamboni, Kant et S. Thomas
Autor: Pirotta, Angelus M.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762618>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Zamboni, Kant et S. Thomas.

Scrpsit Dr. P. Angelus M. PIROTTA O. P., La Quercia.

Doctrinae, quam exposituri sumus, occasio est articulus quidam novissime editus in « Rivista di Filosofia Neo-Scolastica » a *Prof. J. Zamboni*, cuius articuli obiectum est ordo partium philosophiae, praesertim locus quem occupare debeat inter illas Critica seu Criteriologia, vel, ut praefert ipse auctor, Gnoseologia¹. In hoc igitur articulo Zamboni, reprehendens doctrinam de hac re a *J. Maritain* et *P. R. Garrigou-Lagrange* O. P. pronuntiatam² tamquam a via veritatis errantem, suam exposuit atque suum iudicium — *quod sit unice verum et unice sequendum* — nobis manifestavit. Enimvero, cum solutio praedictae quaestionis a Zamboni excogitata nobis videatur esse similis solutioni seu doctrinae quam Kant proponit atque iisdem fundamentis inniti, liceat propterea quamdam comparisonem inter utriusque doctrinas instituere in praesenti studio, et iterum cum ipse Zamboni putet se sequi rectam, id est S. Thomae viam atque vestigia scholastica premere, propterea liceat addere, quid de hac re sentiendum sit secundum S. Thomam post Aristotelem. Duo igitur sunt tractanda: I De ordine partium philosophiae secundum Zamboni et Kant, et II De eodem ordine secundum S. Thomam post Aristotelem.

I. De ordine partium Philosophiae secundum Zamboni et Kant.³

Finis principalis necnon totus conatus, ad quem Zamboni accinctus est, in praeposita quaestione definitive solvenda, est, ut

¹ *J. Zamboni*, « L'ordine delle scienze Filosofiche e il posto della Critica. Note di Gnoseologia intorno al massimo problema » (*Rivista di Filosofia Neo-Scolastica*, Fasc. I, Gen. — Febb., 1924, pp. 23-35).

² *J. Maritain* dissertationem circa Thomismum et Philosophiam Recentem et *P. Garrigou-Lagrange* dissertationem ac disputationem circa divisionem scientiarum philosophicarum publice habuerunt occasione hebdomadae Thomisticae in Academia Romana S. Thomae Aquinatis celebratae. *P. Garrigou-Lagrange* suam disputationem postea publici iuris fecit in *Revue Thomiste*, Ann. 1924, Janv.-Févr.: « Dans quel ordre proposer les sciences philosophiques » (pp. 18-34).

³ Sufficiat, ut nobis videtur, doctrinam Kantii haurire ex eius duobus operibus principalioribus, videlicet ex *Prolegomenis* et *Critica Rationis Purae*, et horum

ponatur quaedam scientia fundamentalis quae omnibus aliis scientiis philosophicis praesupponatur, ex qua cum quoad earum ordinem, tum quoad earum elementa omnes deducantur, imo ut sint potius effectus illius, atque consequenter ut sit id in quod omnes finaliter resolvantur et ad quod reducantur. Breviter, ut sit primum et maximum praesuppositum, primum in synthesisi et ultimum in analysi omnium scientiarum, cognitionum nostrarum, problematumque philosophicorum. Haec scientia fundamentalissima omnium vocatur a Zamboni *Gnoseologia Pura*; est enim, ut ait ipse, maximum problema, ex cuius solutione omnium aliorum maximorum problematum philosophiae solutiones dependent¹. Hic finis Zamboni coincidit cum fine, quem Kant sibi praestituit in instituendo suam *Philosophiam Transcendentalem*, seu rectius *Criticam Rationis Purae*. Scribit enim Kant: « Non est certe levitatis, sed perpensi iudicii effectus aetatis modernae, quae amplius suscipere sciendi apparentias recusat, atque rationis invitatio est ut aggrediatur iterum quod in suis muneribus gravius est, scilicet sui cognitionem, et ut tribunal erigat quo propria jura legitima defenduntur, necnon condemnet ea quae fundamento carent, non quidem arbitrarie, sed secundum aeternas ac immutabiles *leges* suas; hoc vero tribunal nequit esse aliud nisi *Critica ipsius rationis purae* »². Quibus verbis postea subdit: « Et dicere audeo, *non esse unum problema metaphysicum, quod insolutum maneat hic, et cuius solutioni clavis saltem data non sit* ». ³

sequentes editiones italicas citamus: « *Prologomeni ad ogni Metafisica Futura* » (Trad. P. Martinetti, Bocca, Torino 1913); et « *Critica della Ragione Pura* » (Trad. da G. Gentile e G. Lomb.-Radice, Edizione 2a, Bari, Laterza 1921). — Est tandem notandum, bonitatis gratia citationum horum operum, haec sigla adhiberi a nobis, ut per *P.* intelligantur Prologomena, et per *R. P.* intelligatur Critica R. Purae.

¹ « Mi era proposto, *pergit Zamboni*, di dire in poche parole di cronaca, la mia impressione di spettatore alla *Settimana Tomistica* indetta dalla *Accademia Romana di S. Tommaso d'Aquino* per commemorare il sesto centenario della canonizzazione dell' Angelico Dottore Comune; e di parlarne dal punto di vista della gnoseologia critica, che è stata effettivamente la nota *toccata in modo più vivo*, benchè indirettamente, nelle discussioni. Ma, siccome si tratta di quello che io credo *il massimo problema*, perchè da esso dipende la soluzione dei così detti *massimi problemi*, la cronaca si andò mano mano trasformando in trattazione » (pag. 23).

² R. P., pag. 7.

³ Ibid., pag. 8. Textus iste germanice sic sonat: « In dieser Beschäftigung habe ich Ausführlichkeit mein großes Augenmerk sein lassen und ich erkuhne mich zu sagen, daß nicht eine einzige metaphysische Aufgabe sein müsse, die hier nicht aufgelöst, oder zu deren Auflösung nicht wenigstens der Schlüssel dargereicht worden » (Krit. der r. V.; *Dr. K. Kehrbach*, Leipzig); cfr. Edit. Italicas cit., R. P., pag. x-xi; pag. 12; pag. 20-24; pag. 25-26.

Gnoseologia Pura igitur vel Critica R. Purae est maximum et primum praesuppositum rationale seu fundamentum cuiuscumque cognitionis nostrae et scientiarum philosophicarum.

Ut hoc clarius pateat et bene intelligatur, sciendum est cum Zamboni quod non sufficit arguere ex triplici gradu abstractionis, physicae nempe, mathematicae et metaphysicae, ut fecit P. Garrigou-Lagrange ; hoc enim est omnino insufficiens et « mihi videtur, *addit Zamboni*, scientiarum ordinem et abstractionum maiorem ac profundior considerationem mereri »¹. Quapropter, ait ipse, distinguendus est duplex scientiarum seu cognitionum ordo : *psychologicus* unus et *scientificus* alter. Primus — qui et historicus, successivus, extrinsecus est — iuxta sensum auctoris dicitur, qui procedit a rebus sensibilibus, quae sunt extrasubiectiva, ad intelligibilia ascendendo. Est autem hic ordo didacticus, provisorius ac utilitaristicus, quem, ait auctor, intellexit S. Thomas, cum divisionem scientiarum institueret secundum tres gradus abstractionis.² Alter vero ordo, qui *proprie et stricte scientificus* est, *intrinsecus* ac *simpliciter systematicus*, procedit a perfecta et completa cognitione scientifica subiecti cognoscentis ad obiecta extrasubiectiva ; iuxta quem facienda est formaliter divisio cognitionum nostrarum et scientiarum. Hic duplex ordo, haud dubie, non est novus, sed habetur eodem modo apud Kant. Nulla enim cognitio, nullaque scientia est vere et realiter possibilis, nisi inquantum cuidam systematicae unitati substat³, ut exinde quoddam scientificum systema habeatur. Systema autem nil aliud est quam plurium et multiplicium cognitionum sub unica idea collectarum unitas.⁴ Haec duplex a Kant consideratur : una, quae fit secundum partium multiplicitatem empirice et accidentaliter consideratarum, ex quibus quaedam unitas efficitur, quae vocatur *Technica*, et haec nullo modo constituere potest vere ac proprie scientiam aliquam, sed, ut verbis Kantii utar, *rhapsodiam quamdam cognitionum*⁵ ; altera vero fit secundum partium essentialium multiplicitatem sub una idea a priori rationis ordinatarum, ex quibus habetur unitas quae vocatur *Architectonica* ; et secundum

¹ pag. 25.

² En eius verba : « Credo che S. Tommaso, quando parlava dei gradi di astrazione, si mettesse dal punto di vista dello sviluppo psicologico e storico » (pag. 26).

³ cfr. R. P., pag. 626.

⁴ cfr. *ibid.*

⁵ cfr. *ibid.*

hanc unitatem constituendae et ordinandae sunt systematice scientiae ¹, ac proinde vocatur simpliciter Architectonica Rationis Purae, quae minime fundatur in obiectis extrasubiectivis, sed est quid omnino intrasubiectivum, aliquid nempe universale radicum in facultate nostra cognoscitiva, quae principaliter est *ratio*. ² Methodus autem architectonica, considerata formaliter ex parte ideae, quae est systematis fundamentum, et non ex parte illius quod continet, id est ex parte multipliciter, consequenter considerata ex parte subiecti cognoscentis, est duplex secundum duplicem cognitionem: alia nempe *historica*, alia vero *rationalis*. Prima cognitio est, quae ex obiectis existentibus seu empiricis vel ex datis procedit; et haec nequit constituere vere et stricte cognitionem seu scientiam, atque potius est imitativa scientia seu cognitio, quae ad facultatem imitativam pertinet et, ut verbis Kantii utar, est « *Gypsea imago hominis vivi* ». ³ Altera vero cognitio est quae ex principiis procedit, et haec vere et stricte scientiam seu cognitionem constituit, atque est scientia productiva atque ad facultatem productivam spectat, utpote eius cognitio a ratione subiecti cognoscentis producit, in qua principia cuiuslibet scientiae a priori data sunt. Quare methodus in scientiis seu cognitionibus nostris sequenda est unice rationalis, quae est vera, scientifica, systematica necnon rationi omnino intrinseca. ⁴ Secundum hanc igitur, iuxta Zamboni et Kantii sententiam, dividendae et ordinandae sunt scientiae et cognitiones, quae schematicae sequenti modo exhiberi queunt:


¹ « le scienze, pergit *Kant*, poichè sono pure tutte concepite dal punto di vista d' un certo interesse generale, vanno chiarite e determinate *non secondo la descrizione*, che ne dà il loro creatore, *sibbene secondo l' idea* che, dall' unità, naturale delle parti, che egli ha messe insieme, *si trova fondata nella ragione stessa*. Perchè allora si troverà che il creatore e spesso ancora i suoi più tardi seguaci sbagliano intorno a un' idea, che essi non hanno chiarita a se stessi, e quindi non possono determinare il contenuto speciale, l' articolazione (unità sistematica) e i limiti della scienza » (R. P., pag. 627).

² Ita inquit *Kant*: « Noi ci contentiamo di completare la nostra opera, ossia unicamente di abbozzare *l' architettura* di tutta la conoscenza derivante dalla ragione pura, e non cominciamo se non dal punto, in cui l' universal radice della nostra facoltà conoscitiva si divide e caccia fuori due ceppi, uno dei quali è *la ragione*. Io poi intendo qui per ragione l' intera facoltà conoscitiva superiore, contrapponendo quindi il razionale all' empirico » (R. P., pag. 628).


³ R. P., pag. 629.

⁴ cfr. R. P., pp. 628-629.

ZAMBONI



KANT



Ex istis schematibus, quae non arbitrarie a nobis confecta sunt, sed apud utrumque expresse inveniuntur¹, clare eruitur, quomodo inter se apprime conveniunt, saltem in ratione divisionis generalis; licet quodammodo, quoad subdivisiones, inter se discrepent, inquantum nempe Kant, posito principio, logice procedit atque ordinate et per se subdivisiones deducit: ubi Zamboni, illogice omnino procedit atque confusissime et per accidens subdivisiones deducit, necnon iuxta-positionem scientiarum simpliciter agglomerat. Nihilominus, secundum utrumque, scientificè et systematicè, hoc modo est procedendum: ut *primo* ponatur scientia fundamentalis, hoc est « Gnoseologia Pura », vel « Critica R. Purae », quae est fundamentum cuiuslibet alterius scientiae, quia eius est, ut ait Kant, « examen (studium, analysis) facultatis rationis respectu cuiuscumque cognitionis purae a priori ». ² « Ratio enim, *subdit ipse*, est facultas nobis praebens principia a priori cognitionis. Ratio pura igitur illa est, quae continet principia, quibus aliqua res absolute a priori dignoscitur ». ³ Exinde patet, Criticam R. P. seu Gnoseologiam P. versari circa ipsam facultatem cognoscitivam naturalem, eiusque principia, conceptus et iudicia, quae a priori in illa continentur; vel, cum Zamboni, circa praesentiam psychicam et immediatam perceptionem, contenta et obiecta primaria; contenta derivata, ideas, iudicia et principia. Ergo merito haec scientia ponenda est ut *fundamentalis* seu ut *propaedeutica* ⁴, cum Kant, omnium aliarum scientiarum: quia ex illa haurire debemus principia, quibus de aliis cognitionibus et scientiis, tam intrasubiectivis quam extrasubiectivis, iudicare debemus.

Etenim, aut cognitiones nostrae seu scientiae versantur circa τὸ Ego purum, hoc est circa mundum pure intrasubiectivum, sive intelligibiliter sive sensibiliter; aut versantur circa τὸ Non-Ego, hoc est circa mundum extrasubiectivum, sive phaenomenalem sive non; vel ut verba Zamboni praecise servemus, « aut sunt scientiae quae complete constituuntur absque iudiciis alicuius existentiae extrasubiectivae; aut sunt scientiae constituentes cognitionem nostram τὸ Non-Ego ». ⁵ Liquet igitur quod divisio scientiarum — Gnoseologia P. praesupposita

¹ cfr. Zamboni, op. cit. pag. 35; Kant, R. P., pp. 628-638.

² R. P., pag. 631.

³ R. P., pag. 58; cfr. ibid., pp. 56-57; pag. 60; et fere idem, cfr. R. P., pag. 119; P., § 23, pag. 75.

⁴ cfr. R. P., pag. 58 ss.; pag. 631; pag. 637. Et nota rationem quare Kant hanc scientiam vocat « Criticam R. P. » et non « Doctrinam R. P. », cfr. R. P., pp. 53-61.

⁵ pag. 35.

— est principaliter duplicis ordinis tantum, nempe : aliae habentes ut obiectum το Ego, aliae vero το Non-Ego. Uti patet, non nimis abest Zamboni a Kant. Posita enim a Kant distinctione inter cognitionem quae ex solis conceptibus habetur (Cognitio Rationalis Philosophica) et cognitionem quae ex conceptuum constructione habetur (Cognitio Rationalis Mathematica) ¹, cognitionem philosophicam dividit in *Cognitionem Puram* (του Ego) quae ex principiis rationis purae habetur, et in *Cognitionem Empiricam* (του Non-Ego), quae ex principiis empiricis habetur. ² Utraque suas subdivisiones habet secundum propria principia cuiuslibet. Pura enim, alia est ut propaedeutica rationis purae, quae est *Critica R. Purae*, alia est ut systema rationis purae, et est *Metaphysica*; haec autem, aut est usûs speculativi rationis purae, et est *Metaphysica Naturae*, aut est usûs practici rationis purae, et est *Metaphysica Morum*. Metaphysica vero Naturae, alia est *Philosophia Transcendentalis R. P.*, alia est *Physiologia R. P.* (Ontologia), quae iterum est duplex : alia est *Physiologia Immanens* (Physica), et sub se comprehendit et *Physicam Rationalem* et *Psychologiam Rationalem*; altera est *Physiologia Transcendens* (Hyperphysica), et sub se comprehendit : *Cosmologiam Rationalem* et *Theologiam Transcendentalem*. Ex omnibus istis subdivisionibus, quae omnes convergunt ad duas praecipuas divisiones, nempe : ad Philosophiam Puram (του Ego) et ad Philosophiam Empiricam (του Non-Ego), manifeste apparet omnes promanare et originari ex una et fundamentalissima scientia rationis nostrae, quae est Critica R. Purae seu Gnoseologia Pura. Proinde sequitur quod ordo seu divisio scientiarum et cognitionum nostrarum, secundum ordinem scientificum, systematicum et intrinsecum, non aliter fieri potest praeter praedictum modum, licet secundum ordinem psychologicum seu historicum aliter exhiberi possit.

Quod hucusque de Gnoseologia P. seu Critica R. Purae exposuimus, ut scientia fundamentali omnium, potest comprobari et confirmari

¹ In hoc enim istae duae cognitiones, iuxta *Kant*, formaliter distinguuntur, cfr. P., § 2, pag. 34 ; § 7, pag. 47 ss. ; R. P., pag. 629. Est tamen animadvertendum, hanc duplicem divisionem cognitionis esse unius eiusdemque fontis, scilicet Rationis Purae, in ipsa enim fundatur atque ultimo resolvitur (cfr. *Kant*, P., § 10, pp. 49-50). Unde scribit *Ruyssen* : « Nous savons déjà que les jugements mathématiques sont des synthèses à priori. Comment de pareilles synthèses sont-elles possibles ? C'est à la condition qu'un pouvoir de construire à priori nous soit donné » (*Kant* ³, pag. 77, Paris, Alcan 1915 ; cfr. *Sentrout*, « Kant et Aristote ² », pag. 233, Louv.-Paris 1913).

² cfr. R. P., pag. 631.

per resolutionem partium principalium Philosophiae in Gnoseologiam P., videlicet : per Physicam, Ontologiam et Logicam.

α) *Physica*. — Ut huius absoluta dependentia a Gnoseologia P., ac eius resolutio in ipsam plene innotescat, notandum est cum Zamboni, quod Metaphysica seu Ontologia est quaedam analysis introspectiva, quae, bene determinata, potest formaliter constituere quamdam partem Gnoseologiae P.¹ Igitur, *et bene notandum*, Metaphysica seu Ontologia est pars Gnoseologiae, quae est eius fundamentum atque in illam resolvitur. Hoc notato, de facili apparet Physicae resolutio in Gnoseologiam.

Etenim, tripliciter excogitare possumus scientiam Physicae. 1. *Formaliter-ontologica*, prout in ea formaliter et explicite involvuntur et continentur conceptus realiter ontologici, ut potentiae et actus, τὸν fieri, etc. ; et hoc modo intelligebatur ab antiquis.² Hoc modo, ut per se patet, non est possibilis independenter a Gnoseologia P. et in illam formaliter resolvitur : est enim formaliter ontologica, et ontologia est pars Gnoseologia. 2. *Virtualiter-ontologica* seu Physica sensus communis, in qua non continentur explicite et formaliter principia ontologica, sed solum principia et notiones quae a sensu communi dictantur. Sed sensus communis originarie est ipsa ontologia ; igitur haec altera species Physicae non est nisi concreta applicatio Ontologiae³ ; ideoque, sicut et ipsa, in Gnoseologiam P. resolvitur. 3. *Pura* (melius Empirica), quae independenter a Metaphysica et Gnoseologia consideratur, non est nisi simplex et purum opus observationis proprie et stricte statisticae ; unde per se respicit solum verificationem phaenomenorum, relationem temporis et spatii, necnon leges pure empiricas, quae sunt experientiae effectus. Quare ut obiectum non habet nisi phaenomena ut tempori et spatio subiecta ; consequenter substratum quod sub phaenomenis deprehenditur, ut realitas obiectiva, necessitas, actio, etc., nullo modo ad hanc speciem Physicae spectat, neque purus scientificus de eis occupatur, sed illis phaenomenis ab alia scientia additur.⁴ Illud autem substratum est quid abstractum physicum, quod nil aliud est nisi phaenomenon, in quo contentum (elementum) quantitativum independenter a sua actualitate in tempore et spatio consideratur⁵ ; sed illud abstractum physicum est effectus Gnoseologiae P., hoc est perfectam cognitionem quam intellectus de suis operibus

¹ op. cit., pag. 33.

² pag. 25.

³ ibid.

⁴ pag. 26.

⁵ ibid.

seu actibus acquirit.¹ Exinde clare sequitur, omnes tres species Physicae nullo modo haberi posse nisi detur Gnoseologia P., vel dicendum: tam primas duas species quam tertiam, ut necessitatem scientificam involvit, esse partem Metaphysicae seu Ontologiae, consequenter necessario esse partes Gnoseologiae; unde primus gradus abstractionis cognitionis *nostrae* a tertio gradu minime distinguitur formaliter, ideoque inter has tres scientias: Physicam P., Mathematicam et Metaphysicam, nullus gradus abstractionis diversus scientificè est ponendus, scientificè parallellae sunt simpliciter ad res quas nobis praebet sed communis seu vulgaris experientia.²

Sicut Zamboni omnes species Physicae reducit et resolvit in Gnoseologiam P.: ita pariter Kant in Criticam R. Purae. Videtur enim Kant tres species Physicae agnoscere: *Physicam Puram*, *Generalem* et *Empiricam*. Empirica, fundatur in phaenomenis sensus externi atque eorum principiis, praesupponit Physicam Generalem, quae fundatur et super conceptus empiricos ut motus, impenetrabilitas, inertia, etc., et super principia quae sunt leges a priori; unde et Physica Generalis, licet sit ut propaedeutica quaedam scientiarum naturalium empiricarum, aliam speciem Physicae praesupponit, a qua principia seu leges universales ac necessariae a priori mutuatur: et haec alia species vocatur *Physica Pura* vel *Rationalis*.³ Physica empirica igitur est applicatio Generalis, et haec est applicatio Purae; et scientificè neque empirica neque generalis est possibilis independenter a Pura, utpote ab ea necesse est ut mutueter valor obiectivus, consequenter necessitas et universalitas. Attamen, neque Physica Pura est possibilis independenter a Critica R. P.; proindeque totus valor obiectivus cuiuslibet speciei physicae necessario dependet a Critica R. P., in quam resolvitur. Hinc videndum est, quomodo Physica Pura in Criticam R. P. resolvatur. Existentia et possibilitas Physicae Purae non vertitur a Kant in dubium⁴; sed tota difficultas ac totum dubium est de modo, quo est possibilis: « Datur, pergit *Kant*, realiter aliqua Physica pura, unde quaestio: *quomodo est possibilis?* »⁵, cuius solutio a nulla alia scientia praestari possit nisi a Critica R. Purae.

¹ Verba *Zamboni* haec sunt: « Ma questo concetto lucido della costituzione intima della fisica è il risultato della piena coscienza che l' intelletto arriva ad acquistare del suo lavoro » (pag. 26).

² cfr. pag. 26; 27.

³ cfr. P., § 15, pag. 64; R. P., pag. 635, in nota.

⁴ cfr. P., § 15, pag. 64; § 40, pag. 101.

⁵ P., § 15, pag. 64.

Physica enim Pura proprie versatur circa leges seu naturas a priori et necessarias, quibus tota natura subiicitur¹, sumpta natura, non pro existentia rerum in seipsis, quae ut sic est omnino incognoscibilis², sed pro existentia rerum legibus generalibus subiectarum³; et haec, sive *formaliter*, prout iam definita est, sive *materialiter* ut est congeries seu complexus omnium obiectorum experientiae⁴, quae ad primam se habet ut elementum materiale ad formale⁵. Unde tota quaestio ad hoc reducitur: *quomodo possit cognosci elementum formale naturae ab eius elemento materiali?* vel: *quomodo iudicium perceptivum* (quod est iudicium phaenomenorum, de quibus est Physica Empirica) *possit habere rationem seu valorem obiectivum seu necessarium ac universalem, vel experientiae* (de qua est Physica Pura)?⁶

Tota igitur scientia Physicae P. formaliter versatur circa experientiam, eiusque universales conditiones ut a priori datas⁷; consequenter Physica Empirica, quae de solis phaenomenis agit, nullam universalitatem neque necessitatem scientificè habere potest independentè a Physica P., cuius est applicatio et resultatum.⁸ Experientia vero, de qua Physica P., duo essentialiter involvit: *unum* est ut praesuppositum et fundamentale, quod ad sensum pertinet, et vocatur *perceptio*; *aliud* est ut formale et constituens experientiam, quod ad intellectum pertinet, et vocatur *iudicium*⁹; hoc vero, quod est idem ac cogitatio, utpote cogitare est iudicare¹⁰, est duplex: *unum* est *perceptivum*, et est pura unio perceptionum i. e. phaenomenorum in conscientia subiectiva seu empirica, et hoc habet solum valorem subiectivum, contingentem et transeuntem; *aliud* est iudicium *experientiae*, et est unio intuitionum conscientiae empiricae in aliqua conscientia generica, et hoc habet valorem obiectivum, universalem et necessarium¹¹,

¹ ibid.

² cfr. P., § 14, pp. 63-64; § 17, pag. 65.

³ P., § 14, pag. 63.

⁴ P., § 16, pp. 64-65; cfr. ibid., § 17, pag. 65.

⁵ cfr. P., § 17, pp. 65 ss.

⁶ Aliter cum Kant: « Or io chiedo se, trattandosi della possibilità d'una conoscenza a priori della natura, sia meglio formulare così il problema: come è possibile conoscere a priori la necessaria regolarità delle cose come oggetti dell'esperienza? oppure: come è possibile conoscere a priori la necessaria regolarità dell'esperienza in riguardo a tutti i suoi oggetti in genere » (P., § 17, pag. 65).

⁷ ibid., pag. 66.

⁸ cfr. ibid.; et § 18, pag. 67.

⁹ cfr. P., § 18, pag. 67.

¹⁰ cfr. P., § 22, pp. 73-74.

¹¹ cfr. P., §§ 19-20, pp. 68-71.

qui quidem valor non habetur ab intuitionibus conscientiae empiricae, sed est aliquid quod ab intellectu superadditur ipsis repraesentationibus datis intuitionis sensibilis ¹, atque in aliquo conceptu a priori intellectus puri fundatur et resolvitur, sicut et necessitas et universalitas quam involvit. ² Ergo unio seu colligatio intuitionum in conscientia generica, quae in iudicio experientiae habetur, fit ab aliquo conceptu a priori, intellectus puri, quo experientia formaliter constituitur; quapropter, necesse est iudicium perceptivum, ut habeat valorem obiectivum, subiici iudicio experientiae, vel conceptui a priori intellectus puri, a quo reguletur, necessitatem ac universalitatem acquirat; unde, universalitas et necessitas, valor obiectivus atque ipsa experientia, *antecedunt* quamlibet cognitionem et scientiam obiecti extrasubiectivi et etiam intrasubiectivi empirici, consequenter quamlibet cognitionem empiricam. ³ Exinde apparet, valorem obiectivum Physicae, tam empiricae quam purae, nullo modo haberi et acquiri a rebus realiter extra subiectum existentibus, sed solum et unice a conceptibus a priori intellectus puri. ⁴ Isti autem conceptus nil aliud sunt nisi purae syntheses intuitionum a priori, hoc est uniones ab intellectu inventae, inquantum reducit ad quamdam unitatem seu syntheses genericam multiplicitatem intuitionum purarum a priori (hoc est temporis et spatii) ⁵; talis synthesis est opus solius intellectus ⁶; quare conceptus a priori intellectus puri sunt unitates syntheticae a priori ⁷, quae activitatem seu functionem intellectus puri sequuntur: ac ideo secundum eius diversa momenta habentur diversi conceptus, consequenter diversa iudicia intellectus. ⁸ Hi conceptus a Kant vocantur *Categoriae* ⁹: unde categoriae et formae iudiciorum parallele se habent. Istis categoriis praesupponitur denique alia unitas transcendentalis, quae est pura apperceptio autoconscientiae *Ego cogito* ¹⁰, et haec est ultima unitas synthetica transcendentalis, a qua possibilitas cognitionis et scientiae dependet, et in quam finaliter resolvitur. Totus processus

¹ cfr. P., § 18, pag. 67.

² cfr. P., § 19, pag. 68; § 18, pag. 67.

³ cfr. P., § 22, pag. 74; § 25, pag. 77. Quod dicitur de Physica P. etiam dicendum est de Mathematica Pura, cfr. P., § 20, pag. 71.

⁴ cfr. P., § 19, pag. 68.

⁵ cfr. R. P., pag. 114.

⁶ cfr. R. P., pp. 114-115.

⁷ cfr. R. P., pag. 115; *ibid.*, pp. 132-133.

⁸ cfr. P., § 21, pp. 71-72; R. P., pp. 109, ss.

⁹ cfr. R. P., pp. 115, ss.; pag. 131.

¹⁰ cfr. R. P., pp. 136, ss.

scientificus cognitionis hucusque expositus breviter sic resumitur: *intuitiones sensibiles subordinantur categoriis et in eas resolvuntur, categoriae autem subordinantur unitati syntheticae transcendentali et in eam resolvuntur.*¹ Diversae denique formae iudiciorum, diversis categoriis correspondentes, sunt simul leges seu regulae a priori et principia repraesentationum², quibus resolvitur quaestio supraposita de modo possibilitatis Physicae Purae³; et quia omnia haec per se et formaliter ad Criticam R. P. pertinent, sequitur necessario quod Physica P. non est possibilis independenter a Critica R. P., cuius est effectus atque in illam resolvitur.

β) *Ontologia* (Critica). — Quemadmodum Physicae scientia impossibilis est independenter a Gnoseologia P., pariter scientia Metaphysicae Generalis seu Ontologiae. Res enim sensibiles seu experientiae sensibili subiectae tribus elementis constant: elemento qualitativo eiusque legibus (Physica), elemento quantitativo eiusque legibus (Mathematica), et elemento ontologico eiusque legibus (Ontologia)⁴; et sicut prima duo impossibilia sunt sine Gnoseologia P., ita et tertium, de quo agit Ontologia. Elementa rerum ontologica ex triplici formalitate seu ratione resultant, nempe: ex *esse* (actu essendi), *essentia* et *proprietas* essentiam consequentibus⁵, quae scientifice et philosophice minime cognoscuntur immediate et ut obiecta simplicia, sed mediate tantum, id est per diversas operationes complexas intellectus; haec medietas cognitionis, formaliter ut talis, quamdam obscuritatem ac inevidentiam in ipsa cognitione gignere potest usque dum fiat resolutio in evidentiam immediatam et inconditionatam. Hinc quaestio seu problema criticum, i. e. de ultimo criterio ontologico, quo immediate et evidenter mens nostra elementa ontologica rerum, ab eis mediate cognita, cognoscere evidenter et obiective possit.⁶ Quia vero problema ultimi criterii cognitionis formaliter pertinet ad Criticam, et elementa ontologica, ut mediate et conditionate cognita, ad Ontologiam: inde est quod Ontologia non est possibilis sine Critica, et tota in Criticam resolvitur; et quia problema criticum solvi nequit sine Gnoseologia P., ideo Ontologia in Criticam, et Critica in Gnoseologiam P. resolvitur.

Etenim, intellectus noster non cognoscit esse rerum in se (*realità ontologica*), sed solum cogitando et iudicando, hoc est, iudicat res in

¹ cfr. R. P., pp. 141-143.

² cfr. P., § 23, pag. 75.

³ cfr. R. P., pag. 105; pag. 304.

⁴ op. cit., pag. 30.

⁵ ibid.

⁶ ibid.

se existere. Intellectus autem neque cogitare neque iudicare aliquid potest, nisi in se praehabeat et praesupponat quamdam perceptionem immediatam, prout aliqua realitas ontologica concrete et individualiter sit praesens facultati cognoscitivae, seu subiecto cogitanti ; haec immediata perceptio est ipsa realis et ontologica autopraesentia ipsius subiecti cogitantis ut tale. Subiectum igitur cogitans ut tale est ipsa evidentia inconditionata et immediata, qua cetera cognosci et iudicari possunt ; subiectum vero cogitans, ut tale, est ipse intellectus, prout in suo processu seu operationibus intellectivis, actu supra seipsum reflectitur : de quo agit proprie Gnoseologia P.¹ Praeterea, obiectum intellectus nostri est esse rerum, quod non habetur a sensibus, qui solum phaenomena cognoscunt, neque immediate ab intellectu cognoscitur, sed solum immediate percipitur in ipso processu cognitionis subiecti cogitantis seu percipientis, et mediante hoc processu illud in obiectis sensibilibus percipit.² Tandem, si illud in obiectis sensibilibus immediate perciperet intellectus noster, tribueretur ei aliquid quod est proprium cognitionis divinae.³ Exinde sequitur quod problema criticum solvi nequit sine processu reflexivo cognitionis nostrae, seu sine scientia Gnoseologica Pura.⁴

Ergo quia sensus non cognoscit esse rerum, neque in abstracto neque in concreto, sed solum phaenomena et rerum apparentias, et intellectus res sensibiles immediate cognoscere nequit, sed solum phantasmata immediate respicit, inde est quod intellectus est facultas ipsius esse, hoc sensu : inquantum respectu rerum sensibilibus formatur conceptus entis, illud concipiendo et phantasmatibus tribuendo *in quodam iudicio*. Quare quod dicitur experientia externa mundi sensibilis, non est quid datum simpliciter sensitivum, sed complexum ex elementis sensitivis (= phaenomenis) et intellectivis (= conceptu ipsius esse) ; unde sumere mundum sensibilem ut initium processus seu ordinis nostrae cognitionis vel scientiarum, est ignorantia methodi analyticae.⁵ Ergo cognitio mediata realitatis ontologicae rei externae seu sensibilis resolvenda est in principia immediatae evidentiae, hoc est in perfecta cognitione naturae seu essentiae processus intellectus, et relationem inter elementa essentialia : quo solvitur problema criticum. Remanet igitur Ontologiam in Criticam, et hanc in Gnoseologiam P. esse resolvendam.⁶

Quemadmodum, iuxta Zamboni, possibilitas et existentia Metaphysicae Generalis seu Ontologiae non potest esse sine Gnoseologia P. :

¹ pp. 30-31.² pag. 31.³ pag. 33.⁴ pp. 32-33.⁵ op. cit., pag. 33.⁶ pag. 34.

ita iuxta Kant sine Critica R. P., in quam resolvitur. Nam, praeter scientiam Physicae P. et Mathematicae P., existit secundum Kant alia scientia, quae omnino experientiam et quodlibet elementum empiricum transcendit, et vocatur *Metaphysica* seu *Ontologia*¹, quae unice et proprie a ratione nostra quaeritur, non tantum ut scientia, verum etiam ut est quaedam naturalis tendentia rationis nostrae : quia de elementis ontologicis rerum adhuc nulla certitudo ac evidentia habetur, consequenter nulla scientia Ontologiae seu Metaphysicae realiter possidetur. Illa enim Metaphysica, in obiectis experientiae fundata, non potest merito vocari Metaphysica : quia haec quodlibet elementum experientiae transcendere debet ; unde ad scientiam Metaphysicae aedificandam alia methodus est adhibenda, illa videlicet qua obiecta experientiae mensurantur secundum cognitionem nostram a priori seu conceptus puros a priori², quae quidem methodus ad Criticam R. P. pertinet.³ Hinc apparet iam, quod possibilitas seu existentia Metaphysicae non potest esse nisi a sola Critica R. Purae⁴, quae eius possibilitatem reducit ad hanc quaestionem methodicam : an obiecta seu experientia mensurent conceptus nostros a priori ; vel e contra, ipsi conceptus mensurent obiecta experientiae ; quae quidem resolvitur ad problema criticum, nempe : quodnam sit ultimum criterium ontologicum cognitionis purae et transcendentalis seu a priori⁵ ; quia vero « ratio formalis cuiuslibet veritatis in conformitate cum legibus intellectus consistit »⁶, inde est quod Metaphysica et Critica, pro Kant, minime formaliter distinguuntur.⁷ Hinc igitur videndum est, quomodo Metaphysica revera haberi nequeat independententer a Critica R. Purae, et quomodo de facto in eam resolvatur.

Triplex enim est fons cognitionis nostrae, nempe : *sensus*, *intellectus* et *ratio*, quae sic inter se ordinantur : ut intellectus sit facultas sensu superior, et ratio utrâque superior.⁸ Quoad possibilitatem autem et existentiam Metaphysicae maxime attendenda est distinctio inter intellectum et rationem, sine qua impossibilis evaderet Metaphysicae

¹ Hinc Physica P. et Mathematica P. proprie et per se a ratione quaeruntur propter metaphysicam (cfr. P., § 40, pag. 101).

² cfr. R. P., pp. 20-23.

³ R. P., pag. 24.

⁴ cfr. R. P., pp. 250-251 ; cfr. P., pag. 145 ; pp. 146-147 ; pag. 148.

⁵ cfr. R. P., pag. 100.

⁶ R. P., pag. 286.

⁷ cfr. *Sentrout* : « Kant et Aristote »², pag. 223.

⁸ cfr. R. P., pag. 289.

scientia. ¹ « Sicut enim, pergit *Kant*, intellectus categoriis experientiam constituit: ita ratio in se est fons idearum, quibus intelligo illos conceptus necesarios, quorum obiectum haberi nequit in aliqua experientia. Illae ideae fundantur in natura rationis, sicut categoriae in natura intellectus. » ² Ex quo liquet, quod ratio proprie et per se versatur circa ideas absolute independentes ab experientia et existentia extra-subiectiva, ac proinde simpliciter sunt in ipsa ratione et ab ipsa. ³ Unde, sicut intellectus sua activitate est origo categoriarum: ita ratio sua activitate est origo idearum ⁴; et sicut intellectus, ut facultas, rationi subiicitur: ita eius usus usui rationis subiicitur, seu categoriae ideis subiiciuntur; et similiter, sicut conceptus intellectus sunt conceptus intellectuales, qui *categoriae* appellantur: ita conceptus rationis sunt conceptus rationales, qui proprie *ideae transcendentales* vocantur ⁵; ex quo eruitur quod utriusque conceptus inter se distinguuntur, ita ut « rationis conceptus ad comprehensionem ordinentur, sicut conceptus intellectus ad intellectionem (perceptionum). » ⁶ Idea porro seu conceptus transcendentalis rationis nil aliud est quam « conceptus totalitatis conditionum cuiusdam conditionati dati » ⁷; totalitas vero, quae et universalitas dicitur, conditionum est ipsum *inconditionatum*, quare « conceptus rationalis purus in genere potest definiri ut inconditionati conceptus, prout continet principium synthesis conditionati » ⁸, quod quidem inconditionatum vocatur *absolutum*. ⁹ Ex quibus omnibus sic potest resumitur totus processus cognitionis: « quod omnis cognitio nostra a sensibus oritur, ad intellectum pervenit et in ratione terminatur, supra quam nil altius invenitur, quo intuitionis materia possit elaborari et subiici altissimae unitati cognitionis » ¹⁰; quare ratio, quae est facultas principiorum, immediate fertur ad intellectum, qui est facultas legum, ac propterea « sicut intellectus potest esse, suis legibus seu regulis, facultas unitatis phaenomenorum: ita ratio, suis principiis, est facultas unitatis legum intellectus. Unde

¹ cfr. P., § 41, pag. 103; § 43, pag. 104.

² P., § 40, pag. 102.

³ cfr. P., § 42, pag. 103.

⁴ cfr. P., § 43, pp. 104-105.

⁵ cfr. R. P., pag. 298; et totam sect.; pag. 501.

⁶ R. P., pag. 297.

⁷ R. P., pag. 305.

⁸ ibid.

⁹ cfr. R. P., pp. 307-308.

¹⁰ R. P., pag. 289.

numquam ipsa immediate ad experientiam seu quodlibet obiectum ordinatur, sed ad intellectum, cuius cognitionibus multiplicatis unitatem a priori per conceptus imprimit: quae unitas vocari potest *unitas rationalis*, simpliciter et specificè distincta ab unitate intellectus. »¹ Ergo clare sequitur quod omnia reducuntur ad unitatem intellectus, et huius unitas ad unitatem rationis purae reducitur; unde principium usus logici rationis in genere est: « invenire ad cognitionem conditionatam intellectus illud inconditatum, quo habetur unitas ipsius intellectus »²; ex quo dein alia principia rationis purae deducuntur, quae sunt transcendentia, ac propterea omnino distincta a principiis intellectus.³ Hinc habetur, quod istis conceptibus rationis, in natura rationis nostrae fundatis, conducitur et regulatur unitas intellectus, inquantum possibile est, usque ad inconditatum seu absolutum⁴, quod est unitas synthetica inconditata omnium conditionum in genere, quae triplex esse potest: τὸν Ego, Mundi et Dei: *et hoc est obiectum proprium Metaphysicae secundum Kant.*⁵

Ratio omnium hucusque dictorum de possibilitate scientiae Metaphysicae, eiusque solutione in Criticam R. Purae, patet ex tota Kantii doctrina. Intellectus enim noster numquam percipere posset immediate (nec mediate!) elementum ontologicum rerum sensibilibus: alia enim potentia cognoscitiva indigeret quam potentia humana, et sensus solum phaenomena, idest sensuum modificationes repraesentare possunt⁶; item, ut iam dictum est, sensus non cognoscunt nisi phaenomena rerum, consequenter in intellectu nostro non sunt nisi conceptus a priori phaenomenis in intuitionem existentibus correspondentes: quare numquam res in se cognoscere possumus, licet eas cogitare possimus⁷; exinde existentia ipsarum rerum sensibilibus numquam absolute et immediate ab intellectu cognoscitur, sed solum relative et mediate, hoc est per relationem rei perceptae in intuitionem cum legibus universalibus ipsius

¹ R. P., pag. 291; cfr. ibid. 294.

² ibid., pag. 295.

³ ibid.

⁴ cfr. R. P., pp. 305-306; pag. 309.

⁵ cfr. P., §§ 40-43, pp. 101 ss. Hinc merito *Sentrout*: « La raison (Vernunft) est proprement la faculté métaphysique. Ce qui constitue son objet, ce sont les trois idées de la raison, les idées psychologique, cosmologique et théologique: le moi, le monde, Dieu; ainsi que les jugements qu'on en forme » (op. cit. pp. 228-229).

⁶ cfr. R. P., pag. 27; pag. 273; pag. 275.

⁷ cfr. R. P., pag. 26. Nota, iuxta Kant, maximam esse distinctionem inter « cognoscere » et « cogitare » (cfr. R. P., pag. 26, in nota; pag. 143, II. ss).

experientiae a priori in intellectu existentibus¹; quapropter id quod dicitur experientia humana sensibilis seu externa non est solum aliquod datum sensibile, sed quid compositum ex phaenomenis (sensus) et ex esse dato seu conceptu dato a priori (= intellectus): cuius ratio ex dictis liquet.² Initium igitur systematicum et scientificum cuiuslibet scientiae philosophicae esse debet sola Critica R. Purae.³

Ex quibus omnibus ultimo colligitur, quomodo Metaphysica seu Ontologia (iuxta Kant) tota dependet a Critica R. Purae, atque in illam simpliciter resolvitur; unde concludendum est verbis ipsius Kantii, quod: « *superbum nomen Ontologiae, quae cognitiones syntheticas a priori rerum in genere (e. g. principium causalitatis) in aliqua doctrina systematica conferre praesumit, locum cedere debet humili nomini simplicis Analyticae intellectus puri.* »⁴

γ) *Logica*. — Zamboni identificare etiam videtur Logicam cum Critica, vel innuere eam saltem esse partem ipsius, propterea ab eo vocatur *Critica processus illativi*, quae iterum in Gnoseologiam P. resolvitur atque est eius effectus. Scribit enim: « Critica processus illativi resolvitur in Gnoseologiam eiusdem processus; gnoseologia, clare demonstrat elementa, prius praesentia at inobservata, ac eorum relationes. »⁵ Cum enim quandoque conclusio vel affirmatio, quae spontanee cognoscitur et cui spontanee adhaeremus, possit esse dubia et incerta, propterea *motiva* seu *rationes* quaeruntur, usque dum — viâ regressivâ — perveniatur ad quamdam certitudinem fundamentalem, primam et omnino indubitabilem, hoc est ad aliquod principium. Et sic processus ille illativus resolvitur in principia. Sed etiam ipse processus ut talis potest esse dubius, ac proinde examinetur adhuc et leges relationis inter iudicia detegantur, usque dum istae leges reducantur ad aliqua principia fundamentalia, ex quibus (legibus sic reductis seu resolutis) oritur *Logica* seu scientia relationum inter iudicia.⁶ Sic ergo est manifestum

¹ cfr. P., § 14, pag. 63; § 32, pp. 84-85; Ossero. II, pp. 55-57; Ossero. III, pp. 57-60; § 25, pag. 77; § 57, pag. 127 ss.; et alibi; cfr. R. P., pp. 233-234; pag. 322, ss.; de hoc ultimo loco clarius dixerat in I Edit., de quo cfr. editionem a nobis citatam, Append. II, pp. 680-681.

² cfr. loc. prox. citatos; praesertim, P., § 22, pag. 74; § 20, pag. 69; § 34, pp. 86-87.

³ cfr. R. P., pag. 21.

⁴ R. P., pp. 250-251; cfr. ibid. pag. 29; pag. 31; pag. 60; P., § 34, pag. 86; § 35, pag. 87.

⁵ op. cit., pag. 29.

⁶ ibid.

quod Logica seu critica processus illativi non est possibilis nisi prout est possibilis Gnoseologia P., in quam reducitur et resolvitur, imo et cuius est effectus necessarius.

Similiter, *ait ipse*, solvenda est quaestio de Universalibus, scilicet per Gnoseologiam P., hoc est « per novum actum reflexivum ipsius processus intellectivi, quo a concreto experientiae ad universale scientiae fit transitus, prout quaerit et analyzat factum abstractionis, vel factum considerationis elementi (del contenuto) independenter a notis individuantibus, atque simul reflexive cognoscit illud principium: abstrahentium non est mendacium. »¹ Ex quo apparet quod, quia juxta Zamboni, sensus solum apparentias rerum nobis referunt, et intellectus res in se et earum esse immediate cognoscere seu percipere nequit, sed solum reflexive, universale abstrahi nequit a rebus existentibus, sed est aliquid ipsius intellectus et in ipso intellectu, hoc est quidam actus processus intellectivi vel actus gnoseologicus: quod est purus Conceptualismus.

Fere eodem modo sicut Zamboni loquitur Kant de hac re. Nam, ipse quamdam speciem Logicae agnoscit, quae ab ipso vocatur *Logica Generalis Pura*², quaeque versatur circa pura et mera principia a priori intellectus et rationis, ab omni elemento (contenido) cognitionis abstrahens, id est a quocumque respectu cognitionis cum obiecto, et dumtaxat respicit formam logicam ipsarum cognitionum vel formam cogitationis (iudicii) in genere.³ Est vere et proprie scientia⁴, quae, tum inquantum est generalis tum inquantum est pura, proprias condiciones habet.⁵ Haec Logica est etiam quaedam species criticae, inquantum simul assignat *motiva* seu *criteria veritatis*⁶, quae sunt ut conditio negativa seu conditio sine qua non habetur veritas.⁷ Attamen, non est dubium quin ad Criticam R. Purae pertineat et in eam resolvatur, imo cum ipsa identificetur. Sufficit enim attendere ad finem, quem Kant sibi praestituit in instituendo Criticam R. P., in qua « non agitur de natura rerum, quae est inexhaustibilis, sed de intellectu, qui iudicat de rerum natura, imo de hoc solum habito respectu ad cognitionem a priori »⁸; unde: « nostra critica indubie

¹ op. cit., pag. 29.

² cfr. R. P., pag. 96-97. Haec Logica, juxta Kant, distinguitur tum a scientia legum sensibilitatis in genere (Aesthet. Transc.; cfr. R. P., pag. 96); tum a Logica Transcendentali (cfr. R. P., pag. 100).

³ cfr. R. P., pag. 97; pag. 98.

⁴ ibid.

⁵ ibid.

⁶ R. P., pag. 101.

⁷ ibid.

⁸ R. P., pag. 59.

clare demonstrare debet completam enumerationem omnium conceptuum fundamentalium constituentium praedictam puram cognitionem »¹ ac proinde est vere *tribunal* cuiuscumque cognitionis et veritatis.² Ceteroquin, ex tota tractatione Criticae R. P. magis elucet realis identificatio Logicae (et cuiuslibet scientiae) cum ipsa Critica.

Simili modo, problema de Universalibus per solam Criticam R. P. solvi potest. Etenim, elementum universale rerum existentium, hoc est universalitas, quae sunt id quod formaliter veram cognitionem et scientiam constituit³, minime est et habetur ab ipsis rebus existentibus, ideoque intellectus illas ab eis abstrahere nequit, sed est quaedam forma a priori in intellectu existens, quaeque ab ipso intuitionibus datis superadiungitur. Huius ratio est: tum quia intellectus non potest immediate, hoc est res in se cognoscere⁴; tum etiam quia obiecta in spatio existentia sunt pura phaenomena et sensuum modificationes.⁵ Praeterea certum est inter iudicia, quae sunt universaliter et necessario valida, non esse iudicia empirica seu perceptiva, sed iudicia experientiae, quorum universalitas ac *necessitas*, consequenter valor obiectivus, sunt conceptus a priori intellectus puri, qui ab ipso intellectu intuitionibus datis superadduntur.⁶ Haec omnia dicta de relatione legum inter iudicia et rerum universalitate non habentur, iuxta Kant, per actum directum et immediatum in rebus, sed simpliciter per ipsius actum reflexum seu reflexionem facultatis cognoscitivae, quae quidem reflexio « non respicit ipsa obiecta ut directe acquirat

¹ R. P., pag. 60.

² R. P., pag. 7.

³ cfr. R. P., pag. 42.

⁴ cfr. P., § 9, pag. 49; R. P., pag. 84.

⁵ cfr. P., Ossero. I, pag. 55; R. P., pag. 85; pp. 127-129; pag. 155; pp. 258 ss.

⁶ cfr. P., §§ 18-21, pp. 67-72. — De hac re merito scribit H. Dehove: « C'est même un des points, à peine est-il besoin de le remarquer, sur lesquels éclate au plus vif l'antagonisme radical des deux doctrines, celle de saint Thomas et la sienne (de Kant). Au lieu que chez le premier les principes rationnels, étant conçus comme l'expression abstraite en nous des lois réelles des choses hors de nous, s'appliquent conséquemment aux choses telles qu'elles sont en elles-mêmes, il ne s'agit pour Kant, on le sait, que des choses telles qu'elles nous apparaissent, de l'« expérience », comme il l'appelle, des « objets de l'expérience », comme nous venons de l'entendre dire encore, ou des phénomènes. Ce qui se conforme par définitions même aux lois de notre pensée, ce sont les phénomènes, à savoir les choses en tant que nous nous les représentons, dans une expérience, encore une fois: quant aux choses en tant qu'elles sont en elles-mêmes, au delà de l'expérience, c'est tout différent, et les lois de notre pensée n'ont plus rien à voir avec elles » (Essai Critique sur le Réalisme Thomiste comparé à l'Idéalisme Kantien, pp. 165 à 166, Lille 1907).

conceptus, sed est quidam status mentis (dello spirito), quo disponimur ad inveniendas conditiones subiectivas, quibus ad conceptus pervenire possumus. Ipsa est conscientia relationis inter repraesentationes datas et diversos fontes cognitionis, quibus dumtaxat potest exacte earum mutua relatio determinari ». ¹

Ex brevi comparatione igitur hucusque a nobis statuta, doctrinam Zamboni inter et Kantii, apparet esse solum et unice sequendum ordinem systematicum, scientificum ac intrinsecum, nempe : qui procedit ab analysi reflexiva processûs intellectivi (Gnoseologia P. = Critica R. P.) ad obiecta intrasubiectiva (scientia του Ego) et tandem ad obiecta extrasubiectiva (scientia του Non-Ego) : quare scientiae non distinguuntur formaliter et specificè diversa immaterialitate seu diversis gradibus abstractionis, sed sunt omnes parallellae. Hinc clarissime videtur Zamboni potius principia Kantiana — saltem in suis lineis praecipuis — premere (inconscienter forsàn !), quam principia S. Thomae et *verae* Neo-Scholasticae, quae in alio articulo exponemus.

¹ R. P., pag. 262 ; cfr. *ibid.* tot. tractat. ; pag. 286.

